q Maria propter ipsam laudabilis mulier illa prefiguravit
Que turrim thebes ab impugnacione abymalech defensavit
Populus timens abimalach super turrim se receptavit / recipiebat
Abimalech autem eos cum turri succendere volebat
Mulier autem fragmen mole desursum iactabat
Et caput abymalech tangens ipsum excerebrabat
Abymalech dolens a muliere se confusum
Et desperans de vita dixit ad armigerum suum
Evagina gladium tuum et interfice me
Ne dicar interfectus a muliere
Abimalech iste superbus dyabolum designat
Qui institutos in turri ecclesie in ecclesia continue impugnat
Sed defensatrix nostra beata virgo maria
Protegit nos ab insidiis dyaboli protectione pia
Et non solum nos defendit ab insidiis dyaboli
Sed eciam protegit a temptacione huius mundi
Et hec proteccio est nobis valde necessaria
Quia temptamenta mundi sunt multa varia
Quemme dicit temptat mundus per appetitum dominandi
Per superbiam et desiderium divitias congregandi
Et hoc patet in nemrod ~~enoch~~ alexandro nabuchodonosor
In achalia absolone adonibesech ~~laomet~~ et chodorlamor
Quosdam temptat per vanam gloriam et laudem humanam
Sicut patet per aman ezechiam et herodem agrippam
Quosdam temptat per avariciam furtum et spolium
Sicut patet per giezi achor et heliodorum
Quidam temptantur in mundo per luxuriam et fornicacionem
Sicut patet per sambecht et amon david et salomonem
Quidam temptantur per stultiloquium et blasphemiam
Sicut patet per nabal et senacherib et roboam
Quidam per detractiones et contumelias et derisiones
Sicut patet per murmurium moysi per thobie et job uxores
Omnes temptaciones mundi vincere et evadere poterimus
Si propugnatricem mariam toto corde diligemus

Ein frowe erlösete die in der stat waren von abimolech.

Maria behütet uns auch vor anfechtung der tüfel Dar umb wart sie
bezeichent by der elichen frumen frawen die den turn thebes beschirmete vor dem kunige abymelech Alz walk worhte abimalech und floch
zu samene off den turn So wolte abimalech den turn han verbrant